



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA ***SANCTI FELICIS DE LLOBREGAT*** * EX
ARCHIDIOECESI BARCINONENSI QUODAM DISTRACTO TERRITORIO NOVA DIOECESIS SANCTI FELICIS DE
LLOBREGAT APPELLANDA ERIGITUR. Varia inter munera quae Nobis divinitus incumbunt, prospicere debemus ut ex
ecclesiasticis circumscriptionibus ubi catholica religio in dies haud parva suscepit incrementa, novae constituantur
dioeceses. Cum huiusmodi petitum sit ut ex archidioecesi Barcinonensi quaedam distraherentur territoria ad novas
dioeceses erigendas, per opportunum visum est Nobis huic concedere petitioni. Quapropter Nos, sententiam excipientes
Congregationis pro Episcopis, omnibus mature perpensis et favente voto Venerabilis Fratris Emmanuelis Monteiro de
Castro, Archiepiscopi titulo Beneventensis atque in Hispania Apostolici Nuntii, Nostra de Apostolica potestate haec
statuimus et decernimus. Ex archidioecesi Barcinonensi integrum distrahimus territorium atque paroecim; decanatum
vulgo *El Prat de Llobregat, Sant Boi de Llobregat, Sant Feliu de Llobregat, San Vicenç dels Horts, Montserrat, Garraf,*
Vilafranca del Penedès, Anoia, Piera-Capellades, atque ex ita detractis territoriis, novam dioecesim, *Sancti Felicis de*
Llobregat appellandam, iisdemque praedictis finibus circumscripsum, constituimus et erigimus; quam dioecesim
metropolitanae Ecclesiae Barcinonensi suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi
eiusdem Sedis pro tempore subicimus. Huius novae dioecesis sedem in urbe vulgo *Sant Feliu de Llobregat* statuimus,
templumque ibi extans Deo in honorem Sancti Laurentii dicatum ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis
evehimus, cunctis additis iuribus et privilegiis quae ad id genus aedes sacras pertinent. Cetera vero secundum canonicas
leges temperentur. Haec quae statuimus perficienda committimus Venerabili Fratri Emmanueli Monteiro de Castro, quem
diximus, vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis ibidem curatori, tribuentes necessarias et oportunas
facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere
imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit,
remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus
minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quinto mensis Iunii, anno Domini bis millesimo*
quarto, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOANNES B. card. RE
Congr. pro Episcopis Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Emmanuel Fernandez, *Protonot. Apost. s.*

n.

*A.A.S., vol. XCVI (2004), n.11, pp. 716-717 © Copyright 2004 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana